Schedae criticae de poetis Graecorum tragicis.

Ernestus Voigt.

SCHEDAE CRITICAE
DE
POETIS GRAECORUM TRAGICIS.




DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS A. D. IV. CAL. NOV. A. MDCCCLIIII HORA XI PUBLICE DEFENDET AUCTOR

ERNESTUS VOIGT

SAXO-BORUSSUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. KRAEHE, CAND. THEOL.
A. WILLFUEHR, STUD. PHIL.



HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

MATTHIAE KOCHIO

AMICO

SACRUM.

Pauca sunt, Lector benevole, quae antequam in disputationem ipsam descendamus de ratione ea quam in singulis locis emendandis inii, praemonita velim. Ac primum critici officium judicavi in eo ut mendum extra dubitationem ante oculos ponatur, situm esse, neque umquam eorum fui qui nil nisi quae omnibus numeris absoluta sint, a poetae manu proficisci potuisse opinati, quaecumque isti normae minus respondere videantur videlicet firmissima corruptelae suspicione ducti soleant mutare. Usu enim compertum habeo eos qui in emendatione poetarum tragicorum, imprimis Aeschyli, hanc legem sequantur, quum liberrimarum copia cogitationum quae haud raro et ingenio et dictione poetica prorsus dignae sunt, apparatum criticum locupletaverint, raro tamen veros frnctus librorum emendationi attulisse.. Interdum autem in memoriam reducunt Ovidianum illud:

„Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
aut pastor baculo stivave innixus arator,
vidit et obstupuit quique aethera carpere possent,
credidit esse Deos . . .; rapidi vicinia solis
mollit odoratas, pennarum vincula, ceras."

Atque pari modo contrarium fugi neque rustice inurbaneque loqui poetam passus sum. Idem librarios

neque veneratus neque adspernatus medium quiddam tenere studui. Menda igitur sive ab aliis sive a me aperta ex mea de indole et sermone poetarum singulorum scientia removere genuinaque restituere conatus sum hac ratione ut quum litterarum in libris manu scriptis ductus diligenter perpenderem, tum maxime ex incorruptis quae circumjacebant et verbis et sententiis accurata quaestione germanam poetae scripturam elicerem: atque omnino operam dedi, ut quam restituebam orationis formam non posse sed debere veram esse evincerem. Licet haec haud raro — id quod hoc studiorum genus doctrinaeque meae mediocritas fert, invita Minerva fecerim: tamen aliqua quidem ex parte viros doctos ad sententias meas accesuros esse confido.



Agamemn. 1400*).

Clytaemnestra marito recens occiso in scenum prodit summoque gaudio exultat. Qua ex oratione haec sunt verba: *κεῖται γυναικός τῆςδε λυμαντήριοσ,*
Χρυσηίδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ.

Godofr. Hermannus recte offendit in voce *λυμαντήριοσ* quod si subiectum orationis esset, nomen substantivum additum desideraretur, vel *ἀνήρ*, vel *νεκρόσ*: unde lacunae indices asteriscos inter hos versus collocavit. Haec autem una suspicionis caussa exstat neque, si ad orationis congruentiam spectas, requiritur quic-

*) Iu numeris versuum sucutus sum ap. Aeschylum G. Hermanni, ap. Sophoclem Bergkii, ap. Euripidem Naukii recensionem: fragmenta tragicorum citavi ex eiusdem Naukii editione.

quam: quin etiam omnem illorum versuum nexum eo quem Hermannus inseruit versu:

ἀνὴρ, θυγατρὸς τῆς ἐμῆς φονεὺς ὅδε

prorsus deleri firmissimis argumentis comprobavit K. H. Keckius. Illam autem ut inconcinnitatem vitemus, ne una quidem littera mutata scribendum videtur:

κεῖται γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος
Χρυσηίδων μείλιγμά τ' ὢν ὑπ' Ἰλίῳ.

„occidit, qui s. quia honoris mei conjugalis violator servarumque dulcissima ad Trojam cura fuit."

Quaecumque enim post *κεῖται* sequuntur, non subjectum sed attributionem caussam continentem esse statim patefiet. Atque de particulae *τε* collocatione cf. G. H. Schäfer. Melet. crit. p. 76*). Verum multo gravior est ea lacuna quam si quidem recte vulgo de versu praecedenti statuitur, ante verbum *κεῖται* accutissime aperuit Keckius, cujus elegantem argumentationem repetere non est in animo. Illud tantum de ejus observatione addere possis, non esse Aeschyleam modo, sed prorsus tragicorum poetarum hanc legem. Vide Soph. Aj. v. 899. *Αἴας ὅδ' ἡμῖν ἀρτίως νεοσφαγὴς κεῖται.*

Oed. R. v. 972. *τὰ δ' οὖν παρόντα συλλαβὼν θεσπίςματα κεῖται.*

Antig. v. 556. *θάρσει· σὺ μὲν ζῇς, ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ πάλαι τέθνηκεν.*

---

*) Participium autem *ὢν* haud raro imperfecti vel perfecti temporis vim induere notum: cf. Agam. 170. Eur. Or. 485. Troad. 709. 1221.

Eur. Alc. 179. *προδοῦναι γάρ σ' ὀκνοῦσα καὶ πόσιν θνήσκω.*

Eur. Orest. 36. *τλήμων Ὀρέστης ὅδε, πεσὼν τ' ἐν δεμνίοις κεῖται*

multaque alia exempla in praesto sunt*).

At si inde putat versum ante *κεῖται* excidisse, falli nobis videtur. Manifestum enim est praecedentem versum si de Aegistho accipi deberet postquam magnificentissime v. 1396—1398. firmum ejus praesidium celebravit, inutile esse ac languidum additamentum: sin de Agamemnone, egregiam invenimus quam requirimus protasin. Sic enim interpunge:

οὗτος γὰρ ἡμῖν,-ἀσπὶς οὐ σμικρὰ θράσους,
κεῖται·

Videlicet mors est mariti quae Clytaemnestrae animum adeo fortem reddat ac superbum. Prorsus eadem orationis structura est in Eur. Rhes. v. 404.

οἱ μὲν ἐν χωστοῖς τάφοις
κεῖνται πεσόντες, πίστις οὐ σμικρὰ πόλει.

Cf. Eur. Troad. 387. Orest. 30. 845. El. 231. et copiose disputantem Matthiaeum gr. gr. ampl. §. 432. 5. (p. 802—5 ed. II). Denique sic etiam singula hujus orationis membra prorsus sibi respondent: tres primi

---

*) Quam legem quum Euripides quoque statuisse sibi videatur: si quis in Oreste versus 360 et 361 transponendos esse censeat atque hanc in formam redigat:

ὅς μοι τάδ' εἶπεν ἐμφανῶς παραστάθείς.
Λουτρνῖσιν ἀλόχου περιπεσὼν πανυστάτοις
Μενέλαε, κεῖται σός κασίγνητος θανών.

me quidem non habebit adversarium.

(v. 1393—1395.) continent jusjurandum, tres continui declarant fretum Aegistho animum Cl., tres ceteri necem necisque caussas: deinde bis quaternis versibus summus odii ultionisque stimulus iterum urgetur, sc. amores inter Agam. et Cassandram conjuncti. Quae si recte disputavero, haec fuit genuina horum versuum forma:

οὗτος γὰρ ἡμῖν-ἀσπὶς οὐ σμικρὰ θράσους —
κεῖται, γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος
Χρυσηΐδων μείλιγμά τ' ὤν ὑπ' Ἰλίῳ.



Choeph. v. 240.

Electra postquam paucis ante cognovit quocum colloqueretur, esse Orestem germanum fratrem, his verbis quam singulari amore eum amplecti debeat, exponit: venerari enim sese et patris eum et matris et sororis et fratris ipsius loco. Quae oratio in hos tres versus definit

πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ' ἐμοὶ σέβας φέρων
μόνος· Κράτος δὲ καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ
πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιτό σοι.

Itaque fidelem erga sese animum fratris ex eo perspicit, quod ipsi *σέβας φέρει*. Quaeramus igitur quid valeat h. l. v. *σέβας*. Ac primum significat aut erga Deos pietatem aut regum aut hospitum (vel omnino peregrinorum, (Eur. Alc. 1000.) aut supplicum aut denique parentum religiosam verecundiam: notionis autem honoris mutuaeque inter homines observantiae, ut fere Clausenius explicavit, ne unum quidem extat exemplum.

Atqui quum Electra neque *θεοῦ* neque *ξένου*, neque *ἱκέτου* neque *βασιλέως* neque *τῶν τεκόντων* vice fungatur: haec ad Electram non spectat verbi potestas. Sin autem sunt qui ad *σέβας* subaudire velint *τὸ εἰς τοὺς θεοὺς* et *φέρειν* restituendi notione adhibere: ii quum valde contortum dicendi genus atque arcessitum Aeschylo obtrudant, et Aeschyleam Electram pietatem erga deos numquam neglexisse et fratris studium et curam inde colligi non posse obliviscuntur. Deinde sonat i. q. *σέβασμα*, sc. illum quem hac religione colimus quae significatio eisdem de caussis hunc in locum non cadit. Neque *σεβας* sc. *τὸ σὸν* pro *σέ* per circnitum dictum esse statues. Sic enim *τὸ σὸν* nullo modo deesse poterat quum haec vox absolute sita praesertim verbo *φέρειν* addito illum sensum non praebeat: qua in re consentiet mihi qui exempla in Steph. thes. collecta circumspectans examinarit. De tertia autem vocis vi nemo cogitabit (*ἔκπληξις*.) vel ea de caussa quod inde conjici fraternus amor nequit. Vides igitur quocunque confugimus, aut inauditam aut ineptam exi stere interpretationem: quibus de caussis incidi in corruptetae suspicionem.

Quaerentibus autem de integra hujus sententiae scriptura illud primum manifestum est, *μόνος* a praecedentibus verbis dirimi nullo modo posse. Ubinam enim praeclarius emergit fidei documentum, quam si quis unus ex omnibus, ante amicis amico in summas angustias adducto succurrit? Quo argumento Aeschylum secuti et Sophocles et Euripides usi sunt: Soph. El. 1201.

μόνος γὰρ ἥκω τοῖσι σοῖς ἀλγῶν κακοῖς.

Eur. El. 585.

ξύμμαχός γε σοὶ μόνος (sc. ἥκω.)

et uterque ita ut illi verbo locum significantissimum tribuerent, ille initium, hic finem versus. G. Hermannus autem ceterique μόνον mutantes cum sequentique enuntiato jungentes, et illud praeclarum expulerunt textu, neque talibus in precationibus, id quod haud parvi momenti est, μόνον usurpari posse et usurpatum esse ostenderunt. Deinde qua ex alia re fides fraterna Orestis tunc eluxit atque ex adventu diu expectato? Omnia enim in illo: πάρεστ' Ὀρέστης ἡμῖν' vertebantur. Ipse deerat utque ipse ipsum afferret, huc omnia redibant. Quare scribam:

πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ'· ἐμοὶ σ' ἔβης φέρων
μόνος· Κράτος δὲ καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ
πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ σύγγενοιτό σοι.

„tu mihi te, i. q. tuum auxilium ac praesidium, allaturus unus es qui huc veneris.“ Non prorsus dissimile dicendi genus exstat Eur. Orest. 1075. In dissoluta autem hac quam statui oratione eo minus offendes quo dissolutior est gaudio animus mulieris. Egregie autem sic hoc de quo disputavimus orationis membrum verbis ἐμοὶ — μόνος, voci πιστός respondentibus determinatur. Quam facile autem ex male intellecta scriptura continua vulgata scriptura exoriri potuerit, in clarissima luce est.



Eum. 222.

Non opus est de h. l. disputare postquam A. Meinekius unice veram scripturam repperit hancce:

τὰ μὲν γὰρ οἶδα κάρτα σ᾽ἐνθυμουμένην,
τὰ δ᾽ ἐμφανῶς πράσσουσαν ἡσυχαίτιρα.

(Philol. Leutsch. vol 19. pag. 222.). Quo fervidiore animi motu Furiae in vindictum Orestis insistunt, eo languidiore ac tantum non nullo in supplicio de Clytaem nestra sumendo versantur. ἡσυχαίτερα igitur verbum est prorsus accommodatum ac necessarium ut justa participii ἐνθυμουμένην oppositio. Qua ex re illud cernitur, scholiastae glossema δολιωτέραν corruptum esse. Atque quoniam nil est frequentius quam litterarnm α δ λ χ commutatio, initiales autem versuum et glossarum litterae haud raro excidere solent, genuinam revocabam explicationem, σχολαιοτέραν emendans. confer enim Hesychii glossam: σχολαῖον ἡσύχιον.

Eum. v. 355.

Interpretum et criticorum ad hanc aetatem lucem huic loco reddendi conamina si vellem percensere, liber mihi conscribendus esset. Hanc tradunt libri manu scripti lectionem:

σπευδομέναι δ᾽ ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας
θεῶν δ᾽ ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν,
μηδ᾽ ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

Ac primum quidem singula h. v. verba et ad ea quae antea dicta sunt et ad ea quae sequuntur, perpendamus necesse est, sententiarum ordo autem hic est: „Fato constitutum est ut nos Furiae quibus nefariis tantum cum hominibus quorum sanguinem exsugamus, consuetudo quaedam intercedat, a deorum superorum sereno consilio exclusi simus. Itaque istorum munia a nostris

penitus disjuncta sunt.“ (v. 345—354.) Apollinem autem Orestis ultioni ultro sese interposuisse probe recordatae iram suam atque indignationem verbis sequentibus effundunt: „Quod quum vel molestissimum ac teterrimum per sese munus nobis traditum sit: ne quis superorum quominus haec officia exsequamur nos impediat eaqne re ad summum labores molestiasque nostras adaugeat, utique exposcimus. Libere atque impune, ut summa absolutaque nostra in provincia potestate praeditae, quae facere debemus, volumus persequi. Neque enim Juppiter superique dignas nos censuerunt, quibuscum usu ac consuetudine conjungantur, neque ipsae vice versa illud concedimus, (v. 355—360.). praesertim quando illa cum diis societas damnum dat nobis.“ Jam spectemus singula. Primum apparet, verbis *ἀτέλεια* et *ἄγκρισις* carere nos nullo pacto posse. Est enim quodammodo tributum quod Eumenides diis pendunt, si et actionum suarum rationem istis reddere (*ἄγκρισιν*) debent et vetare eos atque intercedere permittunt: et, si ipsius poetae verbis uti licet, *τὸ μὴ ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν* est *ἡ ἀτέλεια* quam furiae poscunt, verbum autem *ἐπικραίνειν*, ut ab Aeschylo haud raro sensu, id quod perfectum sit, praebendi usurpatum, in locum locutionis *ἀτέλειαν διδόναι*, *ξυγχωρεῖν* (Herod. 1. 54. Isocr. Panath. p. 263. C. Herodian 2. 4. 13. etc.) successit. Qui vero dictionem *ες ἄγκρισιν ἐλθεῖν* eo quem G. F. Schömannus (comm. crit ad Eum. pag. 210.) tribuit sensu uti posse negavit B. Todtius (Philol. Leutsch v. 15. pag. 213. sqq.): ei vereor, ne forte exciderit. *ἐλθεῖν ἐς* usitatissimum tragicis loquendi circuitum

esse pro verbis simplicibus disputandi et manus conserendi atque illam de qna loquimur locutionem ad utrumque respicere, si quidem ἄγκρισις nil est quodammodo nisi λόγων μάχη. Unde mecum colliges, injuria H. Weilium verbum ἀτέλειαν delevisse, ut illud praetermittamus, in ejus emendatione:

δεῖ τελέαν ἐπ᾽ ἐμαῖσι δίκαις ἐπικραίνειν᾽

voculam δεῖ quam inseruit de suo, pro simplici infinivo, paullo frigidiorem esse. Neque illud in profliganda hac quaestione nullo est numero quod poetae tragici forense publicumque genus loquendi mirum quantum adamarunt. Jam vero summam h. v. corruptelam in verbo λιταῖς latere in confessis est: vero autem verbo Furiarum munus et provinciam significatam fuisse ex iis quae antea exposui, utique intelligitur: ita ut secundi versus haec fuerit sententia: postulamus, ut superi nostris legibus poenisque intercedere prorsus desinant. Venio nunc ὁμηρικῶς ad primum verum. Pro σπευδ. multi edidere σπευδ. quod prorsus falsum esse post Schömanni accuratam quaestionem (l. c.) demonstrare alienum est. Invenitur autem haec media verbi forma uno tantum altero loco in Graecarum litterarum reliquiis idque apud Aeschylum Agam. v. 150 cum sensu ad aliquod festinandi, quorum locorum alter alteri praesidio firmoque propugnaculo est. Neque ea re offendi debes, quod absolute positum sit, praesertim quum quod infinitivos absolutos adhibuit poeta, indignabundas celeriter et abrupte haec Furias loqui docuit; possis vero ταῦτα vel ὧδι subaudire.

Quam autem potestatem habant verba τάσδε με-

φιμνας, non amplius in dubio est: summa inde declaratur sollicitudo de Apollinis intercessione: eadem praegnanti vi utuntur Agam. v. 99. Verum, ut tandem ad mendosa h. l. verba transeamus: de λιταῖς jam antea dictum est; θεῶν autem- quod prorsus repugnat sententiae, glossema ad τινὰ explanandi sensus caussa a grammatico aliquo additum ac τινὰ nostrum „man' esse criticorum peritissimus quisque intellexit. De hoc corruptionum fonte accuratius disserere supersedemus post Porsoni acutam observationem ad Eur. Phoen. v. 5. Quum igitur syllabam unam initio secundi versus excidisse pateat: ad orationis concinnitatem restituendam, praesertim si verba ‚ἀφελεῖν τάσδε μερίμνας' cum locutione ‚ἀτέλειαν ἐπικραίνειν' h. l. plane concinere recte effecero, nil amplius requiremus nisi conjunctionem. Quid multa? Aeschylus scripsit:

σπευδομένᾳ δ' ἀφελεῖν τινα τασ'δε μερίμνασ
ἠδ' ἀτέλειαν ἐμαῖσιν ἀραῖς ἐπικραίνειν
μηδ' ἐς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

„Quae quum studiose agamus, summe exposcendum ac necessarium est ut a tali sollicitudine liberemnr rataeque fiant vindictae meae neve de iis ad juris disceptationem debeam descendere", Littera enim H quam deleto θεῶν glossemate addidi, aut ob litterae N (in verbo θεῶν praeposito) similitudinem (vid. Cobet. Nov. Lect. pag. 143. 368.) neglecta aut a quodam metrico correctore qui eam voculam, nimirum quae una tantum ex littera constet, a lectoribus non magnopere desideratum iri opinabatur, deleta est. Quod vero ad ἀραῖς attinet, evanuit e textu, glossemate λιταῖς illato, quod

grammaticus aliquis verbum *ἀρά* h. l. in bonam partem accipiens (i. q. *εὐχή*) suprascripsit: quam in fraudem inde perpulsus esse videtur primum quod si integrum *θεῶν* est, revera haec periodus praecationis habet magnam similitudinem, deinde quia infinitivi exoptandi sensu praediti adstarent, confer simillimam fortunam versus 68. Eur. Phoen., et Soph. El. 139, ubi pariter *λιταῖς* glossema in textum irrepsisse probabile est. Male vero intellexisse h. l. librarios vel inde apparet, quod in cod. Med. ad *τάσδε μερίμνας* suprascriptum est *τῆς κλυταιμνήστρας·* *ἀραὶ* denique sonat i. q. *κατάραι*, *βλαβή* (vid. Hesych.): maximc autem convenit provinciae Furiarum describendae, si quidem ipsae inde appellationem acceperunt:

Ἀραί δ᾽ ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.

(huj. fab. v. 409.), totumque hoc carmen ex ipsius poetae verbis — *τόδε μέλος ἐστὶν ἀρὰ ἐπὶ τῷ τεθυμένῳ*, id quod versus intercalares satis ostendunt, vide Ellendt, lex. Soph. s. v., Schömann. ad Agam. v. 385.

Aesch. Suppl. v. 67.

Transscripsi h. l. ex G. Hermanni evidenti emendatione:

γοεδνὰ δ᾽ ἀνθεμίζομαι
δεῖμα, μένουσα φίλους.

Supplicum chorus depingit fortunam sum non solum insigni sed etiam perenni calamitate pessumdatus. Jam quaerentibus quid valeat v. *ἀνθεμίζομαι*, respondet scholiastes „*τὸ ἄνθος (τῶν γόων) ἀποδρέπομαι*“; Hesychi-

us, Photius, ceteri tacent; editores autem video tacita cum admiratione illius verbi, quod quidem nisi h. l. numquam invenitur, explicationem repetere. At valde miror huic monstro Byzantinae doctrinae personam nondum detractam esse. Nam quomodo compendium verbi *ἵζω'* decerpendi notionem exhibere possit, neque nsu cognovi neque ratione assequor. Immo potius *ἀνθεμίζεσθαι* est ‚efflorescere', ut *ἀπανθίζεσθαι* *) apud Hesychium est *ξηραίνεσθαι*, deflorescere et exarescere.

Adde quod, hoc si dicere poeta voluisset, *γόους* credo pro *γοεδνά* scripsisset. Haec igitur est vera h. l. sententia: „flebili modo ad summum gradum turpitudinis ac deformitatis pervenio," [„ich erblühe, ein Schreckbild"] quam querelam nonnulla dicta Sophocleae Electrae explanant (v. 140. 303. 1176—1183. 1187.). De illa translata verborum ab *ἄνθος* derivatorum potestate cf. Agam. 1438. Arist. Nubb. 1174.; Wunder. ad Soph. Antig. 945, Abresch. ad Agam. 668. Animadvertendum autem quam egregia vereque tragia sic restituta sit membrorum oppositio.

---

*) Sic enim evidenter emendabam glossam:

ἀπανιζόμενοι ξηραινόμενει.

cujus integritas pridem in suspicionem vocata est. Confirmatur autem serie litterarum quam cod. Cyrilli praebet; in Hesychii antem libro hic ordo plane pdrturbatus est. confer:

Hesych.	*ἀπάνενθεν.*	cod. Dresd.	*ἀπάνευθεν.*
	ἀπανιζόμενοι.		*ἀπανηνάμσνοι.*
	ἀπανηνάμενοι		*ἀπανιζόμενοι.*
	ἀπανθρακίδες.		*ἀπανθρακίδες.*

In Soph. Aj. 405.

librorum scriptura haecce:

εἰ τὰ μὲν φθίνει
φίλοι τοῖσδ'
ὁμοῦ πέλας,
μωραῖς δ' ἄγραις προσκείμεθα
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι.

Corruptos esse hos versus sensus demonstrat et metrum. Quacunque autem via emendationem temptabis, hic postulatur sententiarum ordo (395—409.) Neque superorum neque mortalium quemquam dignus sim qui videam, inferorum dumtaxat consilio accommodatus. Culpa autem interitus mei inest in pernicioso contra me animo Minervae quae mihi omnem Argivorum irae fugam interclusit. Alio confugere nequeo quum portus firmumque perfugium nusquam sit mihi (*ποῖ φυγὼν μενῶ* v. 404.): sin hic mansero, calamitas illa pariter affliget me. Quare quum omnis refugii spes occiderit neque hic commoranti qui satis praesidii praebeant suppeditent amici, inimici vero quippe qnos caede ulcici frustra conatus sim, maiore ira pessumdandique studio in me irruant: manibus me Argivorum mortem oppetiturum est manifestum. Jam pergenti ad singula statim apparet, *τὰ μὲν* nihil valere, nisi *τὸ ἄλλοσε φυγόντα μενεῖν*, i. q. spem perfugii; verbis autem *μώραις δ' ἄγραις προσκ.* [in quibus vocis *μώραις* ea collocatio est ut idem sit atque si dixisset poeta: *μῶραι δὲ αἱ ἄγραι εἰσὶν, αἷς προσκ.*] expeditionom Ajacis in Argivorum duces exci-

disse significari. Metri igitur sententiaeque concinnitas hac opinor ratione evidenter restituitur:

εἰ τὰ μὲν φθίνει
καί φίλοι τοιοίδ᾽
ὁμοῦ πέλας,
μώραις δ᾽ ἄγραις προςκείμεθα κτλ.

Verbis φίλοι τοιοίδε exiguum numerum exiguasque vires amicorum quasi digitis monstrat. τοιόςδε autem nervose contemptionis index et hic et v. 445.

ὥστ᾽ ἐν τοιοῖσδε χεῖρας αἱμάξαι βοτοῖς*).

[quo simul loco ut saepissime antepenultima syllaba correpta invenitur,] ut admirationis v. 921. τοιοῦδε φίλου. Exempla de hoc v. τοιόσδε usu v. ap. Ellendt. Lea. Soph. II. p. 841. πέλας autem ad ὁμοῦ addilum defendit a suspicione glossematis abHermanno commota similis locus in OR. v. 1107. καὶ autem quod inserui, ob syllabam praecedentem νει excidisse suspicor. Ad structuram totius sententiae cf. Soph. El. v. 244—250. Dicit igitur Ajax: quo minus amici mei valent, eo magis inimici exercitu et ipso currenti ad vindictam incitato „nimis ante metutum," nunc prorsus infirmum alienoque praesidio destitutum me „cupide conculcabunt."

Eur. Med. 403.

ὁρᾷς ἃπάσχεις; καί οὐ γέλωτα δεῖ σ᾽ ὀφλεῖν
τοῖς Σισυφείοις τοῖς τ᾽ Ἰάσονος γάμοις,
γεγῶσαν ἐσθλοῦ πατρὸς Ἡλίου τ᾽ ἀπό.

*) Quamquam Hermannum video τοι οἵσδε per attractionem pro ὧδε dictum esse putare coll. Aesch. Prom. 112. Ch. 40. At vellem graviores testes istius usus attulisset. Illo enim loco vel ipsum adjectivum ἀχάριτον vetat Hermannum sequi.

Variant Mss. inter *καί* et *οὐ*. Quodquum quaeramus, unde haec perturbatio orta sit, ultro offertur ea explicatio, enuntiationem interrogativam videlicet cum sensu negativo a poeta conformatam esse: postea vero signo interpunctionis neglecto grammaticum aliquem ut rei infitiandae formulam restitueret, *οὐ* pro *καί* vel emendasse vel supra scripsisse. Interpunge igitur post *ἀπό* signo interrogationis quo simul nervosam orationis alacritatem revoces. *καί* autem est dubitantis (vide Viger. ed. G. Herm. pag. 521.) i. q. nostrum „wol gar noch“, quo in usu ei de quo interroganti dubitatio inhaeret verbo proxime anteponi solere vides et h. l. et multis aliis (Soph. O. R. 989. Antig. 554. 722. 766. Troch. 314).

Eur. Troad. 281

Querelas edit Hecuba quod Ulixes sese sorte nactus sit servam:

μυσαρῷ δολίῳ λέλογχα φωτί δουλεύειν
ὅς πάντα τἀκεῖθεν ἐνθάδ',
ἀντίπαλ' αὖθις, ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ
φίλα τὰ πρότερ' ἄφιλα τιθέμενος.

Recte Seidlerus: „Verbum finitum hic deest quod abesse non posse interpretum peritissimus quisque intellexit.“ Vide G. Herm. ad Prometh. v. 548. A. Matthiaeum l. c. pag. 1105. Quale autem fuisse debuerit, pariter liquet: est enim sermo de vi oratoris. Itaque *ἐκεῖσε* quum nonnullis in libris *τἀκεῖσε* pro *τἀκεῖθεν* antecederet, per errosem pro *ἔπεισε* scriptum esse solis

luce videtur clarius. Sic *τἀκεῖθεν* pro *τἀκεῖ* dictum est (v. Matth. §. 596 c.) Sensus est: „qui omnes illinc huc ad contraria rursus, i. e. quocumque volebat, duplici oratione flectebat, cara reddens quae exosa fuerant.“ Egregie autem *πάντα*; significat enim neque animata neque inanimata vi ejus oratoriae resistere potuisse. Ceterum cum verbo *πείθειν* duos accusativos jungi posse notum.



Troad. v. 634.

ὦ μῆτερ ὦ τεκοῦσα κάλλιστον λόγον
ἄκουσον, ὥς σοι τέρψιν ἐμβάλω φρενί.

His verbis Andromacha Hecubam, virgo anum ut ta dicam, triseclisenem allocuta orationem omnium perfectissimam pollicetur. Quam nimiam immodestiam et superbiam librariis maluerunt tribuere plerique interpretes quam Euripidi, neque ego adversor. Neque suspicionem interpolationis prioris versus in hunc locum cadere rectissime animadvertit Musgravius, qui sic argumentatur „hunc versum ideo ab Euripide esse arbitror, quia alioquin Andromacha Hecubam multo seniorem alloquens minus decore orationem ab *ἄκουσον* orditur.“ Ac fuere qui post *κάλλιστον* interpungerent et *λόγον ἄκουσον* conjungerent: at sic et *λόγον* absolute sine vel adjectivo vel pronomine positum frigidum est et *τεκοῦσα κάλλιστον* displicet. Alios video verba *καλλ. λόγον* sic ut exclamationem orationi interjectam accipiant, explicare: sed exempla tam liberae syntaxeos mihi non innotuerunt. Immo germanam hujus versus formam ii perspexisse

videntur, qui totum nil esse nisi blandam Hecubae allocutionem, arbitrantur praecipue G. Hermannus, qui proxime ad sententiam meam accessit scribendo:

ὦ μῆτερ, ὦ τεκνοῦσσα καλλίστων γόνων.

Nimirum saepissime Hecuba ob liberos pulcherrimos et strenuos celebratur et ipsa gloriatur: unde apparet Andromacham quum Hecubam ut longiori orationi tranquille aurem praebeat, impulsura esset, aptissime hanc summam socrus laudem attigisso. Qua ex sententia sic corrigam:

ὦ μῆτερ, ὦ τεκοῦσα κάλλιστον λόχον.

Quodquum *λόχος* aut puerperium aut ipsos liberos significet, duplici modo explicare potes: aut *κ. λ.* est objectum quod dicimus interius, aut exterius; aut valent illa verba i. q. *ὦ τεκοῦσα κάλλιστα τέκνα*, aut i. q. *ὦ τεκοῦσα κάλλιστα.* Quamquam utriusque interpretationis sententiam in unam confluere in aperto est.



ad Helen. v. 654.

ἐμὰ δὲ δάκρυα χαρμονὰν πλέον ἔχει
χάριτος ἢ λύπας.

Crux interpretum semper fuit v. *χαρμονάν.* Et Augustus Matthiaeus, *χαρμονά* ex cod. flor. legens, per appositionem ad *δάκρυα* additum esse opinatus interpretatur: „lacrimae meae quae sunt gaudii indices“: id quod nemini probavit. Alii *χαρμονάν* ex Ald. praeferentes sequuntur Fritzschium Quaest. Luc. p. 178. qui quamquam enuntiatum quale *δάκρυα χαρμονὰν πλέον ἔχει* emendatum Euripideumque esse ostendit, ad idem

insuper addi posse *χάριτος ἤ λύπας* non comprobavit neque comprobare potuit. Immo conferendi mihi Eur. Herc. fur. v. 742.

χαρμοναὶ δακρύων
ἔδοσαν ἐκβολάς

prorsus in promptu est, *χαρμονά* glossema ad *χάριτος* explanandi sensūs caussa ab illum locum recordato librario additum in margine indeque in textum invectum esse. Videlicet raro vocem *χάριν* laetitiae sensu praeditam legerat ideoque annotationem necessariam habebat. Quamquam et Sophocles evidenter *χάρις* et *λύπη*, gaudium et moerorem, inter se opponit, El. 821. Hinc etiam caussa, cur Mss. inter *χαρμονὰ* et *χαρμονὰν* discrepent facile aperiri potest. Neque qui Euripidis libros glossematis prorsus scatentes percensuerit, improbabilem hanc nodi expediendi rationem judicabit. Quo glossemate deleto neque orationis vis neque metri concinnitas deletur.

Helen. 973.

Menelaus Helenam recuperaturus, Plutonem quoque per innumerabilia corpora quae ad Troiam caesa illi pro sacrificio misisset invocat precatus, ut Theonoam quippe in qua omnis spes rei feliciter gerendae posita esset, eo voluntatis perduceret, ut patris mortui de restituenda Helena promissis ipsa satisfaceret atque inde pergit:

ἤ νυν ἐκείνους ἀπόδος ἐμψύχους πάλιν,
974. *ἤ τήνδ᾽ ἀνάγκασον γ᾽ εὐσεβοῦς πατρός*
κρείσσω φανεῖσαν τἄμ᾽ ἀποδοῦναι λέχη.

Utrumque versum proximum mutilum esse vides. Quae vero lacunae complementa Barnesius qui vocula γ' deleta ποτ' inseruit, et Pflugkius, qui γ' ἀπ' εὐσεβοῦς πατρὸς κρείσσω τραφεῖσαν conjecit, antea temptaverunt, nullam veri speciem prae se ferunt. Nullum enim in ista mutatione argumentum inest quod me utcalculum album eorum sententiae adjiciam, cogere videatur. At oratione Helenae antecedenti cum hac Menelai comparata quae vocula excidisse debeat, evidenter doceri potest. Illa enim, si patris promissis filia staret Theonoa, patris eam justi mores aemulaturam esse dixerat v. 940 (μιμεῖσθαι πατρὸς δικαίου τρόπους) Menelaus quum eodem argumento ad illa verba uxoris manifesto respiciens h. l. utatur, illam non solum aeque justam sed etiam justiorem patre sese praebituram esse praedicat. Quam illius impulsus gradationem si juste perpenderis, assentieris mihi post γ' syllabam ἔτ' inserenti, utpote quae quum ευ in voce εὐσεβοῦς sequatur, facillime a librariis omitti potuerit. Sin vero in collocatione a verbo κρείσσων remotiore haeres, gravis auctor mihi adstat Porsonus ad Orest. v. 499.

Pariter invita Minerva in altero versu Barnesius quum τἀμά γ' corrigeret, egisse videtur. Certe me quidem sententiam idoneam hac ex conjectura elicere non posse confiteor. Sed quum his verbis τἄμ' ἀποδοῦναι λέγῃ additis poetam nil aliud dicere voluisse probabile sit atque, Theonoam, si summa cum pietate patris promissa servanda ipsa susciperet, simul voluntati supremae Menelai et Helenae satisfacturam, itaque de eadem fidelia, ut ajunt, duos dealbaturam esse parietes: com-

probabis hanc levissimam ac tantumnon nullam mutationem:

> ἤ τήνδ' ἀνάγκασον γ' ἔτ' εὐσεβοῦς πατρὸς
> κρείσσω φανεῖσαν τἄμ' ἄμ' ἀποδοῦναι λέχη.

Helen. v. 1652.

Dioscuri quae fato de Helenae exilio constituta sunt explicando Theoclymeni consiliis sese interponunt.


> ἐς μὲν γὰρ ἀεὶ τὸν παρόντα νῦν χρόνον
> κείνην κατοικεῖν σοῖσιν ἐν δόμοις ἐχρῆν·
> ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα,
> καὶ τοῖς θεοῖς παρέσχε τοὔνομ', οὐκέτι
> ἐν τοῖσιν αὐτοῖς δεῖ νιν ἐζεῦχθαι γάμοις.

Ac primum quid valeant verba *καὶ τοῖς θεοῖς παρέσχε τοὔνομα*, neminem adhuc vidi qui probabiliter explicaret. Verbum enim *ὄνομα* quum triplicem habeat potestatem et nominis et famae s. celebritatis et praetextus: nulla earum hunc in locum quadrat. Manifesto latet corruptela. Quidnam vero Troja capta deletaque Diis praebuit nisi constitutam fato Paridis adulterii poenam? Itaque conjicio *τἄννομ'* i. e. *τὰ ἔννομα*. *ἔννομος* autem est „justus et legibus consentaneus, aut etiam aequitati," cf. Thucyd. 3. 67. *ἔννομα πείσονται* i. e. legitimam patientur poenam, Phoen. 1651: Orest. 538, ubi Tyndareos interfectionem Clytaemnestrae filiae justam fuisse Oresti concedit:

> θυγατὴρ ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα

aliaque hujus generis. In sequenti versu corruptelan latere acute vidit Pflugkius. Prorsus enim contraria

ex vulgata lectione efficitur sententia ei quae desideratur. Nam si Helenam eo quo autea conjugio amplius astrictam detineri non licet: manifesto cogitur divortium cum Menelao facere, cuius quidem in aedes lectumque conjugalem reducturi eam sunt Dioscuri. Quae autem Pflugkius ipse temptavit *αὀτοῦ* pro *αὐτοῖς* scribendo, difficultatem illam non tollunt, sed obducunt: omninoque in verbis *τοῖς αὀτοῖς* nullum subesse vitium ex iis quae postea demonstrabo elucebit. Oppositio enim membrorum inter v. 1651 et 1654 clare docet verbum *γάμοις* corruptum esse. Nam quum usque ad captam tantummodo Trojam Helenam in Aegypto manere, Fati lege constitutum sit (*ἐχρῆν*): quum primum haec sors Troiae obtigit, eam eadem qua antea lege non amplius astrictam esse merito colligiiur. Quare scribas *νόμοις* quod cum illo verbo iterum hic librarius commutavit v. 188 eoque facilius evanescere potuit, quod similis versus finis 1646 etiam in memoria haerebat. In plurali autem quem statui numero non offendet qui saepissime ap. tragicos *θεῶν νόμοι* i. q. fas esse cognoverit.



Orest. v. 811.

ὁ μέγας ὄλβος ἅ τ' ἀρετά
μέγα φρονοῦσ' ἀν' Ἑλλάδα καὶ
παρὰ Σιμουντίοις ὀχετοῖς
πάλιν ἀνῆλθ' ἐξ εὐτυχίας Ἀτρείδαις
πάλαι παλαιᾶς ἀπὸ ξυμφορᾶς δόμων.

Miratus sum, quum hanc prorsus insanam sententiam integram adhuc relictam esse a criticis viderem.

Verbum enim si ex verbo reddis, haec est: „Magna potentia ac virtus superbiens per Graeciam et ad Simoentis rivos retro abiit ex felicitate a perantiqua domus calamitate.“ Inde qui sensum sanum elicere potest, ipse sensu communi carere videtur. Quam autem totus fabnlae contextus sententiam postulat, ea est, summam Atridarum ex Troja capta felicitatem et gloriam nunc redintegratis per Orestem sceleribus illis familiaribus rursus abire in priscam generis calamitatem. Qua de caussa evidenter mendum tollo mutans metri simul concinnitate servata:

πάλαι παλαιὰς ἐπὶ ξυμφορὰς δόμων.

Nimirum *πάλαι παλαιὰς* conjungendum est quo superlativi simillima gradatio existit egregieque inde ab antiquissimis temporibus Pelopidarum generi hanc fortunam perniciosam inhaerere declaratur: id quod commemorato statim anreo vellere confirmatur, cf. v. 1000—1012.



Orest. v. 907—913.

ὅταν γὰρ ἡδὺς τοῖς λόγοις, φρονῶν κακῶς,
πείθῃ τὸ πλῆθος· τῇ πόλει κακὸν μέγα.
ὅσοι δέ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσ᾽ ἀεί,
κἂν μὴ παραυτίκ᾽, αὖθις εἰσὶ χρήσιμοι
πόλει· θεᾶσθαι δ᾽ ὧδε χρὴ τὸν προστάτην
ἰδόνθ᾽· ὅμοιον γὰρ τὸ χρῆμα γίγνεται
τῷ τοὺς λόγους λέγοντι καὶ τιμωμένῳ.

Neque hac ex librorum scriptura neque ex conjecturis quas cognovi, me hunc locum intelligere posse

cum Nauckio confiteor. Levissima autem mutatione quam in medium proferam, mihi quidem satisfeci. Ac primum „principem" quum v. *προστάτην* interpretes vertant, falli videntur. *προστάτης* h. l. dictus est qui in concionibus eloquentiae vi amicorumque cohorte tantum auctoritate valeat, ut quasi dominari videatur; quales Pericles Cleon aliique: est partium plebis aut totius populi dux. Itaque oratores illi de quibus Euripides loquitur prorsus iidem sunt qui postea *προστάται* dicuntur.

Deinde facillime sententiam aperire videtur qui verba *κἂν μὴ παραντίκα* satis premit. Haec igitur dicit: Quicumque per admirabilem suam eloquentiam consilia populi regit in summa gravissimarum reipublicae gerendae rerum imperitia: is magnum est malum civitati: verum qui rerum gerendarum periti semper bona consulunt, licet non statim appareat bona esse, sed sequentia demum tempora recta esse et sapientia evincant: ii vere utiles sunt reipublicae. Hac autem ex regula omnia quae videat contemplari (*θεᾶσθαι ἰδόντα χρή*) debet qui reipublicae praeest, ut quantum ratione provideri potest nulla libidinum plebis ratione habita in longitudinem consulat. Nam

χρόνος διέρπων πάντ' ἀληθεύειν φιλεῖ.

(Eur. fragm. 444. ed Nauck.): res ipsa loquetur pariter ei qui vituperaverit antea bonum illud consilium et qui collaudarit summique fecerit (proprie: utrique bona consilii consecutio pariter obtinget."). Quae si recte disputata sunt, una tantum littera mutanda est: scribes *ψέγοντι* pro *λέγοντι*, qua lectionum perturbatione, prae-

cipae in Euripidis fragmentis nihil frequentius invenitur: vide etiam Porsonum ad Phoen. 206.

Media autem verbi *τιμᾶν* forma quum nonnumquam apud Homerum legatur, ne in Euripide quidem offensionis quicquam praebebit praesertim quum opposito verbo *ψέγειν* sensus ejus obscursus esse nullo modo possit.



SCRIPTORIS VITA.

Natus sum Fridericus Augustus Ernestus Voigt a. d. X. Cal. Jul. a. h. s. XLIII. Magdeburgi, patre Theophilo Augusto, cive Magdeburgensi, matre Lisetta e gente Fischeriana. Patre mihi praemutura perpetuoque lugenda morte erepto mater dilectissima ut per longum tempns incolumis mihi servetur, oro atque precor. Fidei addictus sum evangelicae. Primae litteraturae rudimentis instructus decimo aetatis anno gymnasium cathedrale Magdeburgense petii quod tunc temporis directore Friderico Wiggerto quem summe veneror, florebat. Quod postquam per octo annos frequentavi, usus disciplina et doctrina optimorum magistrorom quos pia grataque memoria omnes prosequor: mense Aprili anni LXI. universitatem litterariam Halensem cum Vitebergensi consociatam adii, cuius civibus per Rect. Magn., Ill. Goeschen. adscriptus sum. Deinde imprimis linguisticis et scholis interfui et studiis deditus fui: neque tamen philologicas neglexi. Gratias ago quam maximas praeceptoribus, Vir. Ill. Pott, Leo, Schade, Bergk, Schaller, Ulrici, Haym. Inde post tria semestria Berolinum me contuli, ubi scholis Vir. Ill. Boekh, Haupt, Trendelenburg, Muellenhoff, Friederichs operam dedi. Tum tria iterum semestria illic versatus, ut studiis meis finem imponerem, in almam Gryphiam veni, ubi per hoc semestre tempus ex auditoribus diligentissimis G. F. Schoemanni et H. Useneri fuisse mihi videor, Hoeferi et Georgii prolusiones frequentavi. Omnibus autem his viris optime de me meritis gratias ago semperque quantum iis debeam, memori animo tenebo.

THESES.

1. *In arte critica factitanda praestat cum ratione errare quam sine ratione verum invenire.*

2. *Ars critica adeo coniuncta est cum interpretatione ut ab hac illa segregari et seorsim tractari nequeat.*


3. *Sophocles in fabulis suis rerum exitus non ad caeci fati vim refert.*

4. *Euripides Troades lyrica magis est et rhetorica quam dramatica fabula.*

5. *Tacitus in Germania versatus esse videtur.*

6. *In docenda grammatica graeca, imprimis in formarum doctrina fructus grammaticae comparativae in usum vertendi sunt.*

7. *Digamma Aeolicum in vocibus pervulgatis iam Homeri temporibus vel evanuisse vel Britannorum litterae w similiter pronuntiatum esse contendo.*


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 049 581 0

